

derian. lib. 3. cap. 16. quæ in civitate Grembs reperi-
tur. Ea est optima, quæ est rubicunda, cuius flam-
ma illustris & sincera est, & in qua argenti vivi scin-
tillant micæ.

Hoc Cinnabrium nativum cùm etiam vel purum
reperiatur, quale in *Armenia*, item in *Hassia*, prope
Marpurgum è fodinis plumbeis extrahitur: vella-
pidibus permisceatur, utin *Ungaria*, *Hartenstein/*
Schlegel / &c. quandoque in lapide scissili ci-
nereo, bractearum modo, concretum: quandoque
in lapide metallico candidissimo sit, semper eligen-
dum est illud, quod purum, & à lapidibus bene sepa-
ratum est.

C A P U T XXII.

*Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis vi-
res & usum ante præparationem illius
profert.*

Cinnabaris Mineralis vires & usum considerare
triplici modo nobis animus est; primò enim
vires & usum illius ante præparationem contem-
plabimur: deinde præparatæ vires planè admiran-
das atque ineffabiles tām in genere, quām in specie
enarrabimus: & demum crudæ usum mechanicum
adjiciemus. Usum Cinnabrii nativi seu Minii fos-
silis in medicina ante illius præparationem summo-
pere vitandum esse arbitramur, cùm beneficā quali-
tate ob spiritus suos *Qriales*, sicuti diximus, non
careat; undè *Ausonius Edyl.* 12. jure merito lethife-
rum illud appellavit hoc versu:

Et quod Germano mistum male lethiferum min?
Id-

Idcirco nos quoque in medicinis internis usum illius non libenter admittimus, licet quidam Chymatri in contumaci lue *Gallica* pilulas ex Cinnabari compositas esse scribant. In medicamentis pariter externis illius usum quoque libenter non laudamus. Quidam tantummodo Medici & empirici potissimum illo utuntur cum ligno aloes, mirra, thure, ladano & simil. his enim simul permixtis morbo *Indico* correptos suffiunt; hoc suffumigium bis, ter & quater adhibent, donec copiosum sputum ab ore patientis exeat, vel donec alvi fluxus excitetur. Verum suffumigium illud est ruinosum, est lethiferum, cum multos statim in tremorem & paralyсин incidisse, alias interiisse viderimus. *Joh. Dan. Horstius Pharm. Galeno-Chemic. Catholic.* tom. I. lib. 7. part. I. cap. 14. Venena metallica à veteribus dicta sunt; *Qrius*, lithargyrium, color lasurinus, ærugo, scoria ferri, crocus *Orbis*, plumbum ustum, Minium, cerussa, Cinnabaris; ast innocentiam horum, excepto *Qrio* sublimato, ærugine internè adhibitâ, & fumo Cinnabarino satis propugnat *Joh. Hisk. Cardilucius Officin. Sanitat.* cap. 88. pag. 355. Denique in scabie ab ulceribus, etiam contumacibus & rebellibus aliquando usurpatur, si cætera præsidia nihil contulerint. Confer. *Fran-
eisci Joelis Oper. Medic.* tom. 5. lib. 2. sect. 3.
& *Jul. Cæs. Baricelli lib. 4. de hydronosa
natura* cap. 2.